



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>


F1
46
L26
D



3 2044 106 476 336

46
76
B

46
76
B



Celeb. Dr. Baker

since offert
auto

Bl. 10. Flor.
B. Friedländer
& Sohn, Berlin

Lange,

Diagnoses Plantarum perinsulae

Ibericae nov. 2 pts.



201
24.5

#

Diagnoses

plantarum peninsulae Ibericae novarum,

a variis collectoribus recentiori tempore lectarum

autore

Joh. Lange.

(Aftryk af „Videnskabelige Meddelelser fra den naturhistoriske Forening
i Kjøbenhavn“, 1877.)

Havniae.

Typis Bianco Luno.

1878.

July 1909
20292

In variis plantarum collectionibus, quas botanici plures, floram peninsulae Ibericae recentiori tempore perlustrantes benevole mihi obtulerunt vel ad determinandum tradiderunt, non paucas species vel pro flora Hispanico-Lusitana novas vel omnino indescriptas inveni. Ita cl. Costa plantas Catalauniae, Loscos Aragoniae, Leresche Castellanas et Valentinas, Fritze et Winkler Boe-ticas, Rodriguez Balearicas largiti sunt, quae omnes ad pleniorum cognitionem florum Hispanicae valde contribuerunt. Prae reliquis autem iter 1876 a clariss. Hackel et Winkler per omnem fere Hispaniam et Lusitaniam susceptum largam observationum et specierum novarum messem dedit. Consensu clarissimorum virorum conabor, descriptiones specierum, quae mihi aut novae aut praecipue memorabiles visae sunt, hoc loco conjunctim proferre, adjectis nonnullis, quae ab aliis collectoribus communicatae sunt.

1. *Chaeturus prostratus* Hackel et Lange. Cum specimenibus pygmaeis a me 1852 prope la Coruña Galleciae statu fructifero lectis, quorum in Pugill. pl. Hisp. pag. 34 mentionem feci, omnino conveniunt specimina optime florifera, a cl. Hackel in Serra de Cintra Lusitaniae lecta. Haec forma a reliquis specimenibus Ch. fasciculati, quae ex Hispania et Lusitania examinavi, ita differt, ut

speciei distinctae potius quam varietatis titulo merere videatur. Differentiae principales harum 2 specierum, inter quas formas transa itoronon vidimus, ita exprimendae:

1. *Ch. fasciculatus*. Caules erecti v. inferne geniculato-ascendentes, 14—18 centimetr. longi, filiformes; folia anguste linearia, plana, recta; thyrsus laxus, 3—5 centim. longus, basi interrupte ramosus, radiis primariis elongatis, basi nudis; arista glumarum capillaris, flavescens, ipsâ glumâ duplo v. subtriplo longior.

Specimina examinavimus Hispanica: Madrid, Jerez de la Frontera (Schousb.), Plasencia (Bourg.) et Lusitanica: Faro (Bourg.).

2. *Ch. prostratus*. Caules firmi, sed multo breviores (3—5 centimetr.), diffuse prostrati, foliorum inferiorum dense aggregatorum vaginis ligulisque membranaceis invicem approximatis dense obtecti; folia setaceo-involuta, saepe curvata; thyrsus abbreviatus, 1—2 cm. longus, ovali-oblongus, dense spicaeformi-contractus, radiis brevissimis, a basi inde spiculiferis, arista glumis concolor (violacea), glumâ ipsâ parum longior v. aequilonga.

Hispania: in locis humidis inter rupes maritimas prope la Coruña, 10 Aug. fructifer (Lge.)! Lusitania: Serra de Cintra in arenosis, 8 Mai floriger (Hackel)!

2. *Carex Loscosii* Lge. n. sp. (*C. Mairii* var. *Losc.* Ser. exsicc. fl. Arag. N. 92). Caespitosa(?) culmis erectis, c. 6 decimetr. altis, laevibus v. superne leviter scabriusculis; foliis glaucescentibus, linearibus, 2—3 mm. latis, margine et dorso apicem versus leviter scabriusculis, ceterum laevibus, breviusculis (caulinis superioribus spicam inferiorem vix attingentibus), vagina laxa antice pallida, minute rubropunctata, in auriculam oppositifoliam producta, ligula brevi, pallide fusca, aream ovali-oblongam circumscribente; bractea inf. longe vaginante, basin spicae ♂ non attingente; spica mascula solitaria, lineari, 2½—3 cm. longa, foemineis 2—3 cylindraceis, erectis, invicem longe remotis, inferiore longiuscule pedunculato, superiore sessili spicae ♂

approximata; squamis floralibus ovatis, sensim longo cuspidatis, pallide fusco-membranaceis, nervo dorsali viridi excurrente scabriusculis, fructu maturitate caducissimo, patente paulo brevioribus; stylis 3, perigynio utrinque convexo, ovato, glabro, viridi, inter 2 nervos laterales validiores striis pluribus sat conspicuis percurso, in rostrum longum, obliquum, breviter bidentatum deorsum spectans subito acuminato, secus nervos laterales ciliato-scabro; caryopsi breviter stipitato, trigono lateribus ellipticis, cinerascenti-fusco, opaco, punctato.

Circa Castelseras Aragoniae ad ripas corrugi „la acequia nueva“ vocati parcius 19 Jun. c. fl. matur. Loscos!

An huc pertineat species nomine *C. Mairii* a cl. Winkler pr. Alhambra Granatensium lecta, ob defectum speciminum dijudicare non audeo.

Ad sectionem *C. distantis* evidenter pertinet, *C. punctatae* et *C. distantis* habitu magis quam *C. Mairii* similis. *C. Mairii* Coss. et Germ., quacum cl. inventor cum dubio nostram conjunxerat, non solum toto habitu, sed pluribus quoque characteribus differt, v. c. foliis brevioribus, apice summo excepto laevissimis, pallide, vix glauco-viridibus, caule paucifolio, spica ♂ brevi, clavata, 1—1½ cm. longa, spicis ♀ ovali-subrotundis, invicem approximatis, fructibus maturitate persistentibus, perigynio brevius rostrato, rostro rectiusculo, caryopsi pallide flavo-viridi etc. Comparatis igitur speciminibus suppetentibus cum figuris *C. Mairii* (Coss. Atl. tab. 35, Kze. Riedgr. t. 37) et speciminibus authenticis ab J. Gay communicatis in herb. hort. Haun., quibus exacte respondent specimina a me in Pyrenaeis lecta, valde dubito, plantam Aragonensem huc referri posse.

C. distans L. et *C. punctata* Gaud., etsi habitu simillimae, tamen magis a nostra differunt fructibus maturis diu persistentibus, perigynio laevi, nitido, obsolete striato, rostro recto, profunde bifido, caryopsi pallido etc.

? 3. *Carex Winkleri* Lge. ad int. Caespitosa, surculis leviter arcuato-adscendentibus, culmo erecto, 4—8 cm. longo, inferne laevi,

superne obsolete scabriusculo; foliis glaucescentibus, linearibus, longe acuminatis, 3—4 mm. latis, margine imprimis et pagina inferiore, eximie scabris, caulinis pluribus, longioribus quam praeced.; vagina laxa, antice pallida, minute fusco-punctata, in auriculam oppositifoliam producta, ligula brevi, pallide fusca, aream oblongam circumscribente; bractea inferiore longe vaginante, culmum saepius longe superante, spiculis omnibus foemineis (flores staminiferos nullos vidi), ovali-cylindricis, erectis, inferiore pedunculata longe remota, pedunculo spiculae longitudine v. ultra, superioribus sensim brevius pedunculatis, summis sessilibus in spicam compositam approximatis, squamis floralibus e basi ovato sensim longe subulato-cuspidatis, pallide membranaceo-hyalinis nervo dorsali viridi margineque fuscescente apicem versus scabrido-ciliatis, fructu maturo horizontaliter patente brevioribus; perigynio ovato-elliptico, subcompresso, viridi, glabro, inter 2 nervos laterales validiores striis subtilioribus, sed sat conspicuis percursu, oblique rostrato, rostro elongato, obsolete bilobo, ad medium usque scabro-ciliato, stigmatibus 3, caryopsi stipitato, trigono, lateribus elliptico-obovatis, lutescenti-viridi, laevi, nitido.

Ad aquaeductum Alhambrae supra Granatam urbem die 12 Jul. 1876 florigeram legit cl. M. Winkler. Aliud specimen, Granatensi exacte simile, fructiferum ad ripas fluvii Guadalope pr. Castelseras Aragoniae lectum communicavit cl. Loscos, ita signatum „conviene varios en que sea Carex Mairii, acaso no“. Postea vero cl. Loscos speciem praecedentem nomine C. Mairii var. designatam, etiam circa Castelseras lectam, sed ab hac non parum recedentem distribuit. Cl. Winkler in litt. monet, se hanc plantam (in quo ille quoque stamina nulla vidit, in consortio C. Mairii (Loscosii?) crescentem legisse, tempore autem florentem, quo illius fructus jam delapsi erant. Suspiciatur igitur, hanc vel hybridam prolem praecedentis cum alia Caricis specie, vel formam monstrosam esse. Certe status omnino unisexualis omnium, quae vidi, speciminum aliquid monstrosi indicare videtur, cum non supponere liceat, plantam esse dioecam.

Tales formae abnormes androgynae v. fere omnino foemineae C. Oederi interdum observantur, nostra vero, praeter defectum florum ♂, notis variis et quidem gravioribus (tempore florendi seriore, foliis longioribus, multo magis scabris (immo scaberrimis), inflorescentia superne in spicam subcompositam contracta (nonnullas *Heterostachyas* in memoriam revocans), caryopsi viridi, nitido (nec fusco, opaco), ita differt a praecedente, cui proxime affinis esse videtur, et magis adhuc a C. Mairii typica, ut cum hisce associare non audeam. Memor autem dicti beat. E. Friesii (Bot. Not. 1843, p. 107) „Species characteribus nimis eximiis semper suspectae“ haesitanter et modo ad interim nomine specifico designavi, observationi ulteriori in locis natalibus quaestionem solvendam relinquens an hybrida, an monstrositas, an species bene fundata sit.

4. *Carex paniculata* var. *pallida* Lge. Fl. Dan. tab. 2798.

In locis silvaticis humidis pr. Cintra Lusitaniae die 16 Aug. 1798 legit beat. Schousboe.

Descriptionem varietatis sat notabilis dare h. l. superfluum duxi, cum jam in Flora Danica l. c. differentias a forma typica exposui. Specimina Lusitanica bene conveniunt cum Danicis, et forsitan in terris interjacentibus inveniatur, etsi ubique rara videtur. Cum hac comparanda C. Lusitanica Schk. Riedgr. fig. 119, quae saltem ad C. paniculatam quoque referenda est.

5. *Cephalaria linearifolia* Lge. ad int. Erecta, 2½—3' alt., caule striato, superne ramoso, foliis radicalibus (1—1½ decim.) et caulinis (¼—¾ decimetr.) omnibus anguste linearibus, glaberrimis, laevibus, integerrimis v. rarissime uno alterove segmento lineari divaricato munitis, nervo medio albo prominulo, calathiis junioribus globosis, squamis ovatis, breviter obtuse acuminatis, dorso fuscis, late albomarginatis, leviter ciliatis, ceterum glabris (Flores fructusque ignoti).

Sierra de Dilar fl. Granat. die 27 Jul. 1876 nondum florentem legit cl. M. Winkler.

Specimina pauca, quae vidi, nimis juvenilia sunt ut characteres e floribus et fructu praebeant ad judicandum, an revera specificè distinguenda, an ad varietates *C. leucanthæ* referenda sit. Attamen notae supra allatae potius speciem distinctam indicare videntur. Omnia enim, quae comparavi specimina *C. leucanthæ* Schrad. ex Hispania (Encinillas), Gallia (St. Hippolyte (Gard.) et Tain (Drome) Jord.), et florae Tergestinae (Monfalcone, E. Braig) a nostra recedunt foliis profunde pinnatisectis, margine scabriusculis, calathis junioribus depresso-globosis (magis latis quam longis), squamis periclinii obtusissimis, dorso velutino-puberulis, anguste albomarginatis. — *C. boetica* Boiss. vero staturâ humili, foliis scaberrimis, saepius pinnatifidis etiam abunde distincta esse videtur.

6. *Crepis* (Barkhausia) *Boetica* Lge. Perennis v. (teste Winklero) biennis, radice tuberoso-incrassato subnapiformi, caule fistuloso, monocephalo v. bifido-ramoso, ramis monocephalis, elongatis, sparse nigro- et glanduloso-pilosis, aphyllis v. remote paucisquamatis; foliis laete virentibus, glabris v. pagina superiore margineque sparse et breviter pilosis, radicalibus paucis ovatis v. oblongo-spathulatis, obtusis, a medio ad basin runcinato-dentatis, in petiolum laminâ longiorem subabrupte attenuatis, caulinis sensim minoribus, dentatis, inferioribus in petiolum latiusculum angustatis, intermediis e basi sagittato-auriculata ovato-lanceolatis v. panduraeformibus, acutis, superioribus et ramos fulcrantibus minutis, lanceolato-linearibus, integerrimis, acuminatis; calathio virgineo erecto; periclinii squamis atroviridibus margine pallidiore, dorso parce nigro-pilosis et passim glanduligeris, calyculi squamis laxè adpressis, inaequelongis, lanceolatis, $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{3}$ periclinii longitudine aequantibus, ligulis saturate luteis, concoloribus, stylis luteis, achaeniis breviter rostratis, cinereo-fuscis, 10-costatis, pappo niveo coronatis.

In silvis ad radices montium Sierra de Palma et Sierra de la Luna pr. Algeciras Boeticae florigeram die 19 Apr. 1873 legerunt cl. R. Fritze et M. Winkler, fructiferam ibid. die 23 Apr. 1876 cl. Hackel et Winkler.

Crepis spathulata Guss.¹⁾ (*Barkhausia* spath. Spreng.) secundum specimina authentica a cel. Todaro missa et descriptionem in Guss. Syn. Fl. Sec. II, p. 412 nostræ hic descriptæ arcte quidem affinis est, sed differentiae plantæ Siculae (folia radicalia numerosa oblanceolata, acutiuscula, sensim, nec abrupte in petiolum laminâ breviorē transeuntia, fol. caulina paucissima, sessilia v. semiamplectentia, non auriculata, „ramis approximatis“, anthodii squamae pilis brevibus albis subhirtae) tanti tamen momenti esse videntur, ut cum planta Hispanica conjungi nequeat. Rationibus geographicis suspicari licet, plantam a Bourgaeo in monte Picacho de Alcalá lectam et in Prodr. Fl. Hisp. 2, p. 247 nomine *C. spathulatae* Spr. a Willkommio descriptam nec non *Crepides* in flora Gadit. a Willk. lectas et l. c. in not. dubitanter ad *C. spath.* relatas, ad *C. Boeticam* nostram quoque referenda esse, et tunc *C. spathulata* Guss. e flora Hispanica esset delenda. Folia a Willkommio pinnatifida, lobis lanceolatis, sinuato-incisis describuntur, quod in nostrum non quadrat, de radice vero descriptio nihil indicat. Ulterius igitur pl. Winkleriana tam cum Bourgaeana quam cum speciminibus Siculis pl. Gussoneanae comparari debet, antequam quaestio de eorum identitate dissolvi potest. Observandum est, *C. spathulatam* teste Gussoneo esse perennem, equidem specimina ad Algeciras lecta quoque perennia dixissem, nisi cl. Winkler in schedula expresse observavisset, plantam suam, ita ut in Prodr. fl. Hisp. l. c. indicatur, esse biennem.

7. *Crepis* (*Barkhausia*) *Hackelii* Lge. Biennis v. perennis, radice crasso perpendiculari, superne vaginis emarcidis tecto; foliis omnibus rosulato-congestis, in petiolum alatum breviter angustatis, runcinato- et lyrato-pinnatifidis, segmento terminali triangulari-hastato, utrinque et imprimis subtus secus nervum dorsalem dense hirsutis; caule abbreviato (in speciminibus, quae vidi

¹⁾ Nomen *Crepidis* spathulatae primo a Gussoneo 1821 (Catalog. hort. Boccadifalco) datum est, quod Sprengel 1826 (Syst. veg.) in genus *Barkhausiae* transposuit, quare immerito nomen Sprengelii ut speciei auctoris ponitur, praecipue si *Crepis*, nec *Barkhausia* inscribitur,

1—2-pollicari)¹⁾ a basi inde divaricato-ramoso, ramis inf. cauli subaequilongis, cum pedunculis breviter cano-puberulis, singulis folio minuto lanceolato v. lineari-subulato fultis, superne haud squamigeris; calathio juniore subgloboso, erecto, fructifero cylindrico, dense breviter albo-tomentoso, squamis periclinii linearibus, obtusis, calyculi subtriplo brevioribus, ovato-lanceolatis, obtusis, adpressis, anguste membranaceo-marginatis, apice sphaeclatis; ligulis saturate luteis, dorso rubro-striatis, stylis luteis; achaeniis omnibus longe rostratis, c. 10-striatis, rostro filiformi, pappo niveo coronatis.

In rupibus calcareis prope oppidum Orihuela florigeram et fructibus vix maturis praeditam die 24 Marti 1876 legit cl. E. Hackel.

Huic affinis *C. taraxacifolia* Thuill. (DC., Gren. et Godr. (non Willd.), *C. polymorpha* Pourr., *C. taurinensis* Willd.) praeter caulem typice elatum et foliatum bene distinguitur a nostra calathiis subduplo minoribus, foliolis calyculi latioribus et latius scarioso-marginatis, demum laxiusculis, patentibus, stylo fusco! *C. taraxacoides* (Desf.?) Guss.²⁾ (*C. hiemalis* Biv.) ex descriptione Gussonei (Syn. Fl. Sic. II, p. 410) plantae Hackelianae arcte affinis videtur, hujusque tempus florendi (Martio) bene cum plantae siculae („hieme et primo vere“) congruit. Specimina vero authentica a cel. Todaro benevole communicata (Palermo, in arvis ubique) caule magis evoluto ($\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ -pedali) et foliato, foliis glabris, ramis glabriusculis, calyculi squamis ovatis, latius albomarginatis, laxe patulis a nostra recedunt, et

¹⁾ Sec. cl. Hackel in litt. saepius pluricaulis, caulibus adscendentibus, $1\frac{1}{2}$ —2 decimetr. longis, caespitem largam formantibus.

²⁾ *C. taraxacoides* Desf. (*C. taraxacifolia* Willd. sec. DC. Prodr.) mihi ignota est, et ex brevi descriptione vix recognoscenda; an ideo cum homonymo Gussonei identica sit, nescio. Haec vero cum *C. taraxacifolia* Thuill. non confundenda (DC. (Prodr. VII, p. 155) immo hasce 2 species in 2 diversas sectiones posuit). Tam ob homonymiam (*C. taraxacifolia* Willd. et Thuill. differentes species significant) quam ob nominis nimiam similitudinem cum *C. taraxacoides* Desf. nomen *C. taraxacifoliae* optimo jure videtur rejiciendum, et inter plura synonyma *C. taurinensis* Willd. forsitan eligendum.

figura Reichenbachiana (*Lagoseris taraxacoides* Ic. crit. I, 29, si ceterum huc spectat), etiam cum nostra minime convenit; quare hanc bene distinctam censeo. Reliquae vero species sectionis Barkhausiae, quas comparavi vel descriptas vidi, adhuc magis differunt, quare nomine novo specifico hanc designavi.

8. *Crepis* (*Barkhausia*) *foetida* var. *subintegrifolia* Lge. Differt a typo speciei foliis inferioribus spathulatis, obtusis, parco sinuato-dentatis, caulinis pluribus, obovato-lanceolatis, inferioribus in petiolum latum basi hastato-auriculatum angustatis, superioribus amplexicaulibus, omnibus remote dentatis (neque pinnatifidis). Reliqua ut in *C. foetida*, quare, non obstante habitu peculiari, ejusdem vix nisi varietatem singularem sistere censui.

In dumetis ad Churriana fl. Malacitana die 22 Maj 1873 legit cl. R. Fritze.

9. *Leontodon* (*Millina*) *Nevadensis* Lge. Perennis, pedalis v. ultra; foliis rosulatis, anguste et elongato-lanceolatis, in petiolum alatum decurrentibus, glabriusculis v. parcissime pilosis, remote sinuato-dentatis; scapo adscendente, semel v. bis dichotome ramoso, ramis arcuato-adscendentibus, basi folio minuto subulato et sub calathio squamis 2 parvulis adpressis fultis, superne incrassatis; calathio minuto, cylindrico-campanulato, periclinii squamis viridibus, exterioribus anguste, interioribus late albomarginatis, nervo dorsali hispidis; ligulis luteis concoloribus; stylis luteis; achaeniis pallide stramineo-fuscis, breviter rostratis (rostro c. $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{4}$ achaenii longitudine), infra rostrum leviter transverse rugosis, pappi sordide albi radiis c. 10, plumosis, basi dilatatis, caducis.

In montibus Nevadensibus (loco speciali non indicato) Sept. 1873 legit cl. Manuel Jimenez. Specimina communicavit cl. Winkler, qui pauca ejusdem specimina ad fontes fl. Dilar 1876 quoque legit.

A proxime affini *L. carpetano* Lge. (descr. ic. illustr. p. 16, tab. 26, 1) differt foliis magis remote et minus profunde incis, scapis ramosis, calathiis subduplo minoribus, ligulis concoloribus

(nec subtus rubro-fulvis), rostro achaenii multo brevior (quartam v. vix tertiam partem, nec dimidium achaenii longitudinem attingente), quamobrem pappus extra periclinium vix exsertus est. *L. microcephalus* Boiss. praeter alios characteres achaeniis erostribus, pappi radiis pluribus etc. a nostra diversissimus est.

10. *Scrophularia laxiflora* Lge. Erecta, elata, ad paniculam usque glaberrima; caule atrorubente quadrangulo non alato; foliis cordatis, obtusiusculis, grosse et duplicato crenato-dentatis, obscure viridibus, summis lanceolato-ovatis, serratis; ramis inflorescentiae brevibus, adscendentibus, glanduloso-puberulis, laxe 3—5-floris, ideoque paniculam angustam, interruptam, praeter bracteas subulatas ad basin ramorum aphyllam formantibus; calycis segmentis suborbicularibus, margine apicem versus late alboscariosis; corolla pallide fuscescente, labio inferiore saturatius fusco, staminodio obovato-orbiculari, obtuso; capsula late ovata, breviter apiculata.

In monte Sierra de Palma pr. Algeciras Boeticae cum floribus et fructibus immaturis die 26 April 1873 legit cl. R. Fritze.

Scrophularia nodosa L., cujus varietatem primo intuitu esse suspicatus sum, differt a nostra foliis acutis, argute et subsimpliciter dentato-serratis, calycis segmentis anguste marginatis; *S. Scopoli* Hpp. et *S. grandidentata* Ten. foliorum forma, indumento et colore laete viridi recedunt; ab omnibus his insuper nostra planta panicula valde interrupta, cymis breviter pedunculatis et laxe paucifloris insigniter differt. Inflorescentia fere *S. sciaphilae* Willk., sed haec foliis dissectis longius distat. *S. auriculata* (forma minor) denique, foliorum forma nostrae similis, differt foliis simpliciter et minutius crenatis, pedunculis multifloris, capsula minore obtusissima. Reliquae species, quibuscum comparavi, longius adhuc distant, quare nomine specifico ad interim designatam hoc loco descripsi, sperans fore ut a botanicis floram Gibraltariam perlustrantibus in loco natali ulterius observetur.

¹⁾ Caulem primum non vidi, sed ramos c. 1—1½' longos, quare plantae caulem longissimum fuisse conjicere licet.

11. *Chaenorrhinum exile* (Coss. et Kral. Bull. Soc. bot. Fr. IV, p. 406 sub *Linaria*) Kral. Pl. Tunet. exs. N. 409! C. G. Paris, Iter bor. Afric. N. 261! *Chaenorrhinum thymiflorum* Losc. sched. mscr. 1872!

In collibus gypsaceis et silicaceis ad Castelseras Aragoniæ florigeram et fructiferam die 8 Jun. 1872 legit cl. Loscos.

Descriptio optima hujus speciei pulchellae et ut videtur bene distinctae, quam cl. Loscos primus in flora Hispanica detexit, data est in Bull. soc. Fr. l. c. Specimina Aragonensia exacte plantae Algeriensi respondent.

12. *Hohenackeria polyodon* Coss. et DR. Bull. soc. bot. Fr. II, p. 183, Bal. pl. Alg. exs. N. 883.

Plantulae hujus, in flora Hispaniae hucusque non detectae pauca et sporadica specimina legit cl. M. Winkler 1876 in locis depressis inter colles gypsaceos ad Aranjuez, non procul a *Centaurea hyssopifolia*, *Ephedra scoparia* Lge. et *Koeleria castellana* B. et R.

13. *Conopodium* (brachycarpum var.?) *Marianum* Lge. Glaberrimum, tubere irregulariter ovoideo, nuclei Juglandis fere magnitudine; caule erecto, fere a basi ramoso, duro, fistuloso, ramis erecto-adscendentibus; foliis radicalibus cito marcescentibus, mediisque, in vagina anguste lineari sessilibus, biternatisectis, summis simpliciter ternatisectis, segmentis omnium lineari-capillaceis, minute ciliato-scabriusculis; umbellis longe pedunculatis, multi-(20—25-) radiatis, radiis fructiferis divergentibus; involucre 0 v. monophyllo, involucelli phyllis paucis, lineari-setaceis, anguste albomarginatis, fructiferis adpressis, pedicellis fructiferis exterioribus fructu subduplo longioribus, interioribus fructu aequilongis v. eodem brevioribus; petalis albis, concoloribus; diachaenio lanceolato, cum stylis c. 5 mm. longo, stylopodio collo fructus aequilato stylisque rubris, erectis, fructu subaequilongis coronato.

In montibus Marianis ad rupes faucis Puerto de Despeñaperros die 18 Jun. cum floribus et fruct. immatur. legerunt cl. E. Hackel et M. Winkler.

Inter *C. capillifolium* et *C. brachycarpum* fere intermedium. Prior species, cui tubere magno irregulari, caule duro et segmentis foliorum tenuissimis accedit, differt a nostro radiis fructiferis contractis, involuelli phyllis pluribus, late albomarginatis, stylis fructu 3—4-plo brevioribus, posterior, arctius adhuc affinis, differt umbellae radiis paucioribus, petalorum nervo dorsali ferrugineo, fructibus (ut videtur) brevioribus et latioribus. Cum vero in speciminibus Marianis fructus plene maturi non adsunt, dijudicare non audeo, utrum specificè distincta, an varietas *C. brachycarpi* sit.

14. *Sedum amplexicaule* β , *ciliatum* Lge. differt a forma typica statura humiliore (3—4-pollicari), foliis minoribus, breviter acuminatis (nec longe subulato-cuspidatis); surculorum sterilium subtiliter et eleganter ciliatis, cyma magis condensata, floribus minoribus, petalis brevius acuminatis, pallidis.

In declivibus montium Nevadensium c. 5000' alt. (loco speciali non indicato) die 15 Jun. 1873 legit cl. M. Winkler. *S. amplexicaulis* typici folia glaberrima sunt, qui character tamen non constans est, nam in speciminibus cum forma vulgari ceterum omnino congruis in montibus Marianis prope la Carolina lectis folia rosularia quoque leviter ciliata inveni. Plantam Nevadensem, praeter characteres allatos habitu quoque alieno distinctam, tamen, quia characteribus primariis cum forma typica convenit, vix speciem propriam, sed formam v. varietatem crederem, montium altiorum forsitan filiam, satis autem distinctam, ut botanicis montes Nevadenses perlustrantibus ad ulterius observandum commendari debeat.

15. *Silene melandrioides* n. sp. Perennis, tota glutinoso-et crispulo-villosa; caulibus ad basin rosulae centralis egredientibus, adscendentibus v. diffusis, 16—25 centimetr. longis, foliis rosularibus elliptico-lanceolatis, in petiolum alato-dilatatum breviter angustatis, caulinis elliptico-ovatis, basi angustato amplexicauli-subconnatis, dichasio proximis ovatis, longiuscule acuminatis; floribus in dichasium regulare repetito vel ter dichotomum dispositis, pedunculo centrali calyce longiore, fructifero erecto, calyce primo cylindrico, dein ovato-campanulato, subinflato, basi

truncato v. subumbilicato, undique glanduloso-piloso, 10-nervio, et inter nervos primarios reticulato-venoso, dentibus subulato-acuminatis, petalis violaceo-roseis venis saturatioribus, lamina fere ad medium usque bipartita, basi biauriculata; stylis 3; capsula carpophoro triplo v. quadruplo longiore, basi obsolete pluriloculari, dentibus 6 dehiscente, pericarpio tenui, submembranaceo, seminibus (haud plene maturis) reniformibus, fuscis, dorso planis, dense et elevato-papilloso-tuberculatis.

Specimina florifera die 14 Maj. 1876 ad Bussaco pr. Coimbra a clariss. Hackel et Winkler lecta sunt, cum fr. immaturis ad fl. Sil pr. Orense Galleciae in rupibus leg. cl. Hackel.

Obiter visa, haec planta *Melandrium rubrum* (*Lychnis silvestris*) in memoriam revocat, a quo vero floribus hermaphroditis et stylis 3 facile distinguitur. Inter genera *Melandrii* et *Silenes* (sect. II, ser. 1, B. Rohrb.) ambigua, posteriori ob capsulam inferne plurilocularem associanda. Inter species ejusdem seriei nullam in monographia beat. Rohrbachii descriptam invenio, quacum nostra comparari posset; intra seriem 2 *Macrantharum S. acutifolia* Lk. e Lusitania nostrae affinis videtur, calyce tamen albo membranaceo, clavato, petalis albis emarginatis, exauriculatis etc. abunde distincta, et *S. cordifolia* All. et *S. foetida* Link magis adhuc recedunt.

16. *Euphorbia glebulosa* Coss. & DR. var. *almeriensis* Lge.

Species jam in Bull. Soc. bot. Fr. IV, p. 493 nec non in DC. Prodr. XV, 2, p. 131 (ubi errore globulosa dicta) et in Boiss. Ic. Euphorb. p. 21, tab. 90 descripta est. Haec varietas nostra differt a typo speciei radiis umbellae 2—3, foliis caulinis a lineari-cuneatis ad late obcordatis, retusis v. saepe profunde tridentatis, margine dense et inaequaliter lacero-serrulatis, umbellaribus caulinis similibus, divisionum 2 sequentium ovato-lanceolatis, acutis, floralibus rhombeo-ovatis. (Glandulae involucales, capsula et seminum structura ut in typo, quare hujus solummodo varietatem sistere hand dubito).

Circa Almeria et Cabo de Gata die 2 et 3 Apr. 1876 florigeram ut fructiferam legit cl. M. Winkler hanc plantam, prius non nisi in Africa boreali indicatam. Exemplaria, quae ex hisce 2 locis vidi, ceterum inter se aliquantum differunt, et praecipue foliorum forma valde variabilis videtur.

17. *Ulex micranthus* n. sp. Dense ramosus, ramis brevibus, rigidis et pungentibus, horizontaliter divergentibus v. recurvis, breviter crispulo-puberulis; ramulis brevibus, arcuatis, sulcato-angulatis, mox glabratiss; phyllodiis subulato-pungentibus, ramelli tertiam partem vix excedentibus; floribus secus ramos ramulosque dispositis, solitariis v. geminis, racemum elongatum densiusculum formantibus; bracteolis ovalibus v. obtuse ovatis, fuscis, pedicello latioribus, calycis adpresse fusco-pilosi segmentis aequilongis, lanceolatis, labio superiore obsolete bilobo, inferiore breviter et anguste trifido, vexillo calyce duplo longiore, late obovato, leviter emarginato, pallide luteo, glabro, alis intensius luteis croceisve parum longiore, carina obtusa, pallide lutea, ad suturam sericea, alis paulo brevioribus; stigmatibus antrorsum declivi, stylo a basi inde glabro, ovario 3—4-ovulato; legumine elliptico, basi styli persistente oblique apiculato, dense albo-hirsuto (maturum non vidi).

In ulicetis („Bragales“) montium Serra de Bussaco pr. Coimbra Lusitaniae die 14 Maj. legerunt cl. Hackel et Winkler.

Ulex brachyacanthus Boiss. (Diagn. pl. Orient. II, 2, p. 9) ramis creberrimis brevibus huic similis differt floribus subterminalibus, bracteolis minutissimis oblongis, pedicello aequilatis, vexillo calyci aequilongo. *U. Willkommii* Wbb. (Otia Hisp. p. 42, t. 35) differt a nostra bracteolis minimis angustis, vexillo calyci aequilongo, alis carinâ multo brevioribus, stylo ad medium usque piloso. *U. boeoticus* Boiss. Voy. p. 132, Wbb. Otia hisp. tab. 30 vero ramulis rectis, calycis labii superioris dentibus late divaricatis, ovario 6—7-ovulato, floribus apicem versus aggregatis recedit. A reliquis speciebus in monographia laudata Webbiana descriptis et pulcherrime depictis longius distat.

18. *Genista Winkleri* Lge. ad int. (sect. Voglera) Glaberrima, ramosissima, ramis adscendentibus, intricatis cauleque carinato-angulatis, ramulis spinoso-pungentibus, saepe cruciatis, foliis ramorum primariorum saepius trifoliatis, foliolis 4—6 mm. longis foliisque ramulorum simplicibus lineari-subulatis, crassis, teretiusculis, opacis; stipulis 1—1½ mm. longis, tenuibus, rigide pungentibus; racemo laxiusculo, spinâ terminato, floribus brevissime pedicellatis v. subsessilibus bractea pedicello 3—4-plo longiore bracteolisque subulato-pungentibus, calycis dentibus superioribus divergentibus, tubo longioribus, segmento inferiore fere ad basin trifido, dentibus omnibus subulatis, in mucronem discolorem subpungentem subulato-cuspidatis, minute ciliatis; vexillo suborbiculari, pallide luteo, extus leviter puberulo, alis croceis aequilongo, carinâ pallide luteâ subduplo brevior. Legumen ignotum.

Specimina floribus paucis evolutis ad S. Roque Boeticae legit cl. M. Winkler 22 Apr. 1876.

Propter folia trifoliata *G. scorpioidi* Spach et *G. juniperinae* Spach associanda esset, sed ab utraque bene distincta. Prior differt ramis florigeris brevissimis, subinermibus, tomentellis, infra spinas annotinas positis, foliolis lucidis, obtusis v. acutis (neque pungentibus), stipulis 0, spinis crassioribus. Posterior foliolis planis, lucidis, racemo densifloro, ecoronato, floribus majoribus, vexillo retuso etc. recedit. *G. triacanthos* Brot. ad eandem subdivisionem pertinens, magis adhuc a nostra differt. In subdivisione proxima, *G. tricuspidata* Desf. et *G. gibraltarcam* DC. includente, foliis omnibus simplicibus distincta plantam nostram foliis trifoliatis saepe instructam, quaerere nolui. Attamen quoad habitum huic admodum similis est *G. tricuspidata* Desf., Africae borealis civis, quae vero characteribus (fol. simplicibus ramisque adpresse pilosis, racemo mutico, vexillo acuto etc.) abunde differt. Magis adhuc nostrae affinis *G. gibraltarcam* DC., quae vero e descriptione Spachiana (Rev. Genist. p. 274) et secundum specimina Tingitana (Schousboe in herb. hort. Haun.) variis tamen et gravioribus notis differt.

Pedicelli in *G. gibralt.* filiformes, calyce paulo, bractea vix breviores, in nostra vero flores subsessiles, ita ut pedicellus brevissimus calyce 4—5-plo, bractea 3—4-plo brevior sit. Calycis segmentum inferius in *G. gibraltarica* ad medium (nec, ut in nostra, ad basin usque) divisum, corolla crocea, siccata atrofusca (in nostra modo alae croceae, reliqua corolla pallide lutea), vexillum glaberrimum, subcordato-ovatum, emarginatum (in nostra vero extus puberulum, suborbiculare, integrum). Si his additur, folia *G. gibraltaricae* omnia esse simplicia, dum nostra, immo in uno eodemque ramo, foliis simplicibus et trifoliatis variat, differentiae tot et tantae adesse videntur, ut specimina a cl. Winkler lecta, non obstante quod reliquis characteribus et habitu convenit et in eodem ipso loco ut illa lecta est, cum *G. gibraltarica* conjungere non audeam. Sed foliorum duplici forma nostra species indicare videtur, subdivisiones V et VI Spachii in unam esse conjungendas.

19. *Genista carpetana* Leresche mscr. (Char. emend.) (subgen. *Stenocarpus*, sect. *Scorpioides* II Spach). Fruticulus humilis 1—2 metr. longus, soli adpressus, intricatus, ramis sulcato-striatis, spina terminatis, novellis pubescentibus, annotinis induratis, glabris, aphyllis; spinis (ramis secundariis) brevibus, crassiusculis, simplicibus v. rarius divisis, divaricatis; foliis omnibus simplicibus, 2—4 mm. longis, dorso nervoque medio sericeo-pilosis, inferioribus obovato-, superioribus lineari-lanceolatis, stipulis minutis, albis, spinescentibus; floribus 2—6 in ramulis brevibus ad apicem rami annotini fasciculatis, singulis brevissime pedicellatis v. subsessilibus, bractea foliis simili, calyci aequilonga fultis; calyce sericeo, bilabio, dentibus labii superioris brevibus, triangularibus, segmento infer. ad tertiam partem aequaliter tridentato; corolla glaberrima, vexillo amplo rotundato alis paulo longiore, carinam obtusissimam aequante v. paululum superante; legumine complanato, toruloso, lineari v. leviter curvato, dense et adpresse sericeo, 2—6-spermo, seminibus maturis sphaerico-lenticularibus, brunneo-fuscis, laevibus,

nitidis (Descriptio, paucis mutatis v. additis, ad schedulam cl. Lereschei facta est).

In montibus Castellanis Sierra de Gredos inter lacunam et Hoyo de Pino die 21 Jul. 1862 florigeram et fructiferam legit cl. Leresche. Habitus speciei hujus, ut videtur, optime distinctae, teste Lereschio, fere *G. pilosae* L., quae vero plurimis characteribus et imprimis defectu spinarum valde differt. Proxime affinis *G. Scorpius* DC., praeter reliquos characteres et habitum alienum calyce leguminibusque glaberrimis facile distinguitur. *G. corsica* DC. vero floribus solitariis v. geminis, secus ramos sparsis, pedicellis calyce sublongioribus, leguminibus glaberrimis magis adhuc recedit. *G. lucida* Camb., quae in monogr. Spachiana ob defectum leguminum cum dubio in hac sectione posita erat, et quacum nostra plures notas communes habet, differt racemis aphyllis, vexillo dorso sericeo et praecipue legumine (ex speciminibus Balearicis a cl. Willkomm lectis) prorsus differente. Haec species enim ob legumen rhombeo-ovatum, oblique rostrato-acuminatum, mono- v. oligospernum in subgen. Spartocarpi Spach (nec inter Stenocarpos) collocanda erit.

20. *Ononis ambigua* n. sp., *perennis*, spithamea v. parum ultra, dense longeque viscido-pilosa; caule solido, a basi inde ramoso, ramis gracilibus, flexuoso-adscendentibus; foliis breviter petiolatis, simplicibus v. raro trifoliatis, foliolis cuneatis v. anguste obovatis, obtusis v. truncatis, apicem versus serratis v. dentatis, stipulis ad medium usque cum petiolo connatis, parte libera lanceolatis, integerrimis, petiolo sublongioribus, floribus secus ramos in axillis solitariis, pedunculo folium subduplo excedente, florendi tempore erecto, deflorato divergente, breviter aristato, pedicello (articulo superiore) pedunculo ipso pluries brevioris, nutantideflexo, laciniis calycis tubo quadruplo v. ultra longioribus, anguste lanceolato-linearibus, longe acuminatis, parum inaequilongis, glutinoso-villosis; petalis calyce brevioribus, pallidis, vexillo fuscopurpureo-striato, legumine elliptico, planiusculo, basi styli apiculato, hirsuto, calyci aequilongo. (Legumen maturum et semina non vidi).

In monte Sierra de Alfacar fl. Granat. die 5 Jul. 1876, cum floribus fructuque immaturo legit cl. M. Winkler.

Etsi specimen unicum modo vidi, et legumina non plene matura, observationibus cl. Winkleri persuasus sum, hanc a proxime affinibus bene circumscriptam et specificè distinctam esse. „Ambiguum“ appellavi, quia characteribus inter sectiones Natricoidis et Eunatricis ambigit. *O. viscosa* L., cui primo intuitu ut varietatem subjunxi et quæ, habitu non dissimilis, pluribus characteribus proximo affinis est, tamen radice annua, caule crassiore, fistuloso, pedunculo graciliore, longius aristato, calycis laciniis latioribus, duriusculis, magis excurvatis, hispidis (pilis diametro ipsius lacinia multo longioribus) petalis flavis, calyce longioribus etc. distinguitur. *O. breviflora* DC. annua quoque et flaviflora insuper pedunculo longissime aristato, legumine cylindrico, calyce multo longiore magis adhuc differt. Inter reliquas species annuas ob pedunculum aristatum et radicem perennem cum *O. Sieberi* Bess. et *O. Broteriana* DC. comparari nequit, quarum posterior insuper, ut etiam *O. Broussonetii* DC., floribus racemosis etc. longe recedunt. *O. Natrix* L. ejusque affines radice perenni (sect. Eunatrix) non solum petalis luteis, calyce longioribus sed magis quoque inflorescentia racemosa, legumine pendulo, lineari-cylindrico satis superque recedunt.

21. *Ononis Hackelii* n. sp. Annua, 4—6-pollicaris, breviter viscoso-puberula, uni- v. saepius pluricaulis, caulibus adscendentibus v. erectis, ramosis; foliis caulinis trifoliatis, infimis interdum imparipinnatis, foliolo intermedio ovali-subrotundo v. obovato, lateralibus minoribus, anguste ovalibus v. ovali-linearibus, ad basin usque argute serratis; foliis floralibus simplicibus, summis quandoque ad bracteas stipulares reductis; stipulis dimidiato-ovatis, elegantè striato-venosis, argute dentatis; floribus in racemum laxiusculum digestis, pedunculis erectis, muticis, articulato-bifloris, pedicellis pedunculo subaequilongis, defloratis nutantibus v. deflexis; calycis laciniis subulato-lanceolatis, inaequilongis, dense et breviter glanduloso-pilosis; petalis calyce subduplo longioribus, luteis, vexillo pallide incarnato-flavescente, striis rubris v. violaceis.

percurso, obtuso v. leviter retuso; legumine ovali, obtuso, subinflato, viscoso-puberulo, pallide stramineo-fusco, calyce duplo longiore; seminibus minutis, fuscis, reniformibus v. ovato-subrotundis, minute tuberculato-papillosis.

In arenosis ad Sines Lusitaniae die 4 Maj. 1876 legerunt clariss. E. Hackel et M. Winkler.

E vicinio *O. biflorae* Desf. (*O. geminiflorae* Lag.), quae vero multo robustior, et insuper stipulis obsolete venosis, foliolis multo majoribus, obovatis, infra medium vix serratis, pedunculo aristato pedicellos plus duplo superante, calycis laciniis subsetaceis, petalis albidis, roseo-tinctis abunde differt. *O. laxiflora* Desf., etiam affinis, pedunculis unifloris, corolla lilacina calycis longitudine etc. satis a nostra distincta est. *O. cintrana* Brot. Phyt. tab. 57 (quae ab *O. picta* Desf. Atl. tab. 187 parum distincta mihi videtur) habitu quidem nostrae haud dissimilis est, sed pedunculis unifloris, calyce, pedunculis stipulisque pilis longis albis vestitis (nec breviter glanduloso-pilosis) distincta cum eadem non commutari potest. *O. Broteriana* DC. (*O. racemosa* Brot.) denique racemo longe pedunculato, pedunculis unifloris, legumine glabro etc. magis adhuc recedit. Cum nullo alio Ononide ex his regionibus descripto conjungere potui hanc plantam pulchellam, quam igitur ut novam speciem, viri a flora Lusitano-Hispanica bene meriti nomine designatam propono.

22. *Ononis foetida* Schousb. var. *submutica* Lge.

In collibus aridis ad Algeciras Boeticae legit cl. M. Winkler 1873. Specimen hujus, quod communicavit cl. inventor, optime convenit cum *O. foetida* Schousb.; quae cum quantum scio, non nisi brevissime descripta et parum nota sit, h. l. ad specimina authentica Schousboei in herb. hort. Haun. accuratius describere non superfluum duxi.

Annua v. biennis(?), a basi ramosissima, ramis adscendentibus v. erectiusculis, alternatim unifariam villosis, ceterum glabriusculis, ramosis; foliis trifoliatis v. simplicibus, extra stipulas brevissime petiolatis, ovali-ellipticis v. simplicibus, obtusis v. acutiusculis,

a basi ad apicem argute serratis, parce glanduloso-pilosis v. glabriusculis, stipularum parte libera ovato-lanceolata, longe cuspidata, 6—9-nervia, integerrima; floribus axillaribus, invicem distantibus, pedunculo folio fulcrante longiore, filiformi, unifloro, typice aristato, pedicello primum erecto, dein nutante; calycis laciniis lineari-subulatis, trinerviis, tubo profunde striato 2—3-plo longioribus; petalis roseis(?), vexillo leviter striato, calyce longiore; legumine lanceolato, subinflato, calycem subduplo excedente, glanduloso-piloso. Semina non vidi.

Specimina plura adsunt in herb. haun., nonnulla in Mauritania a Schousboe sponte lecta, nonnulla e seminibus plantae spontaneae in horto educata et praeterea 2 specimina herbarii Vahlmani sine nomine, sed certissime huc referenda cum inscriptione „in horto Celsii“. His speciminibus exacte respondet planta hispanica a cl. Winkler communicata, nisi quod hujus pedunculus muticus v. brevissime aristatus sit. Sed quoque in planta Schousboei typica pedunculos nonnullos muticos inveni, et hanc characterem omnino haud constantem esse, jam Gussone et alii monuerunt. Intra gregem difficilem et polymorpham *Natricoidis* ob legumen tumidum calyce longius cum *O. viscosa*, *O. Sieberi* et pl. commutari nequit, proximo affinis videtur *O. breviflorae* DC. et *O. crotalarioidi* Coss. Quorum prior indumento totius plantae longiore, petalis luteis, arista longissima recedit, posterior vero (*O. setifera* Cav. in herb. Matrit., *O. longiseta* L. Duf. in herb. Labill.), sec. descriptionem Cossonianam (Not. p. 155) et specimen juvenile in herb. meo Granatae lectum a P. Campo, foliis omnibus simplicibus, stipulis triangularibus, brevius acuminatis, petalis luteis, calyce subaequilongis distinguitur. Ab his omnibus insuper caule unifariam villosa nostra dignoscitur.

(Afttryk af „Videnskabelige Meddelelser fra den naturhistoriske Forening i Kjøbenhavn“. 1881.)

Diagnoses

plantarum peninsulae ibericae novarum, a variis collectoribus recentiori tempore lectarum

autore

Joh. Lange.

(Societati traditum die 18^{vo} Febr. 1881.)

II.

Semper aliquid novi ex Hispania! Paucis modo annis elapsis postquam plures species novas, in peninsula Lusitano-hispanica detectas in hoc ipso diario (1877) descripseram, ecce iterum specierum novarum pugillus, pro maxima parte in Hispania a peregrinatoribus indefessis Huter, Porta et Rigo collectarum. In larga messe specierum, quas ex itinere 1878 facto reportarunt clarissimi illi collectores, quarumque non paucas, ut sibi dubias, mihi ad determinandum tradiderunt, species v. varietates plures aut imperfecte cognitae aut omnino indeductae mihi visae sunt. Nec non hisce associavi species nonnullas, partim e Lusitania a cl. Henriques, partim ex Hispania a clarr. Hegelmaier et Winkler missas.

Consensu clarissimorum virorum igitur species sequentes, in continuationem articuli supra citati tractare conabor.

1. *Luzula (lactea var.?) velutina* Lge. Stolonifero — repens, caulibus in rhizomate repente remotis, erectis, 1-1¹/₂' longis, basi vaginis foliorum infer. emortuis fibroso-fissis dense cinctis; foliis radicalibus dense aggregatis, anguste linearibus et longissime acuminatis, canaliculato-involutis apiceque tortis, longe et remote ciliatis, pagina super. glabris, subtus denso tomento deterrenti cano-velutinis; fol.

caulinis 2—4 filiformibus, fol. florali brevi; anthela densa, ramis brevibus, glomerulis L. lacteae similibus; phyllis perigonii niveo-pellucidis, nervo dorsali crasso percursis, subaequilongis, alternatim acutiusculis et obtusis mucronatis; antheris albidis; stylo cruribus stigmatibus plus duplo longiore; capsula ovato-trigona, acuminata; seminibus ovali-ellipticis, pallide fuscis, utrinque obtuse arillatis.

In monte Serra do Ratico c. Murca Lusitaniae Julio 1880 legit cl. M. Ferreira (comm. cl. Prof. Henriques).

Luzula lactea E. Mey., proxime affinis differt a nostra vaginis foliorum vetustis non v. leviter fibroso-fissis, foliis plus duplo latioribus, apice solo canaliculatis, antheris flavis.

L. nivea DC. vero foliis omnibus planis, latioribus, densius et longius ciliatis, folio florali anthelam superante, ramis inflorescentiae longioribus, capillaceis, phyllis perigonii inaequilongis, acuminatis, antheris fuscis recedit.

Ab utraque differt nostra tomento foliorum denso, cano-velutino, qui character habitum ab affinibus valde alienum efficit.

2. *Cephalaria linearifolia* var. *serrata* Lge. Differt a forma typica (Lge. diagn. pl. Iber. 1, p. 7) foliis anguste lanceolatis, argute serratis.

In montibus Nevadensibus ad Cortijo de S. Geronimo una cum forma principali legerunt. clarr. Huter, Porta et Rigo.

3. *Centaurea carratracensis* Lge. (sect. Acrolophus). Uni- v. pluricaulis, caulibus strictis, scabris, $\frac{1}{2}$ -1' longis, simplicibus v. basi ramosis, ramis monocephalis, angulatis, basi albo-velutinis, fere ad apicem usque foliatis; foliis perforato-punctatis, scabris, leviter arachnoideo-pilosis, basilaribus pinnatisectis v. profunde pinnatifidis, segmento terminali lanceolato, mucronato, ramealibus inferioribus lanceolatis, supra medium trifidis, superioribus lanceolato-linearibus, integerrimis, sessilibus (non decurrentibus); calathiis mediocribus, ovoideo-subglobosis, periclinii glabri squamis arcte adpressis, dorso 5-nerviis, subito in appendicem late membranaceo-alatam, medio coloratam (fuscam), triangulo-reniformem 7—9-ciliatam dilatatis, ciliis appendice vix longioribus; corollis purpureis, exterioribus

non radiantibus; achaeniis (immaturis) pilosiusculis, pappi duplicis radiis paleaceis inaequilongis, achaenio ipso brevioribus.

In locis aridis dumosis et ad rupes in valle ad Carratraca fl. Malacit. 11 Jul. 1879 florentem legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo.

A plerisque sectionis Acrolophi speciebus differt haec nostra ramis monocephalis, appendicibus periclinii haud spiniferis. Proxime affinis (ex descriptione) videtur *C. exarata* Boiss., quae tamen differt foliis indivisis, periclinio arachnoideo-puberulo, appendice triangulari-lineari. *C. tougourensis* Boiss. et Reut. (diagn. pl. Orient. II, 3, p. 76) etiam huic affinis recedit foliis magis tenuisectis, undique albotomentosis, appendice parcius ciliata et latius membranacea, in brevem spinam apicalem excurrente, pappo brevioris.

4. *Galium valentinum* Lge. (sect. Leptogalium), perenne, multicaule, intricato-caespitosum (v. inter fruticulos ascendens), pallide v. glauco-virens, siccatione haud nigrescens; caulibus quadrangulis 5—8" longis, angulis incrassatis, retrorsum scabriusculis; verticillis remotis; foliis c. 6 in verticillis (in ramis sterilibus et caulis parte superiore 4), inferioribus ellipticis, acutis, superioribus lineari-lanceolatis, mucronato-cuspidatis; nervo dorsali crasso prominulo, margine scabris, pagina super. papilloso-scabriusculis v. hispidulis; panicula corymbiformi, multi- et saepe densiflora, ramis divergentibus, repetitotrichotomis composita; pedicellis flore vix longioribus; corollae luteae (v. extus rubellae?) lobis ovatis, obtusis, dense granulato-papillosis; stylis ad medium connatis, fructibus granulato-scabriusculis, minutissimis.

In declivibus montis Mariolae supra Alcoy regn. Valent. 15 Maj 1878 legit cl. Prof. Hegelmaier.

Species flaviflorae hujus sectionis ex Hispania cognitae (*G. pulvinatum* et *G. erythrorrhizon* Boiss.) toto caelo a nostra recedunt, reliquae vero species Europae australioris floribus flavis (*G. luteolum* Jord.) v. rubellis (*G. corsicum* Spr., *G. rubidum* Jord. et *G. Prostii* Jord.) omnes lobis corollae mucronatis differunt. Magis affine videtur *G. Jordani* Loret (sub quo nomine variae species Jordanianae

(*G. implexum* Jord., intertextum et scabridum Jord.) a cl. Loret conjunguntur), sed haec foliis angustioribus, 8—10 in verticillis, et floribus albis distincta est. — Cum igitur nullius speciei nobis cognitae descriptio in hanc plantam quadret, ut novam speciem descripsi, non obstante quod numerus specierum hujus sectionis jam nimis magnus sit.

5. *Satureja intricata* (Boiss.) Lge. (*Satureja montana* var. prostrata Boiss. voy. et var. *intricata* Boiss. Elench. teste Benth.; *S. spinosa* Bth. in DC. Prodr. ex part., non L.) Humilis, ramosissima, ramis brevibus, rigidis, erectis, puberulis, dense congestis saepeque intricatis, vix spinescentibus; foliis lanceolato-obovatis v. spathulatis, acutis, apicem versus paucidentatis, breviter et sparse hirtulis; floribus in apicibus ramorum dense aggregatis, saepius in axillis solitariis, pedicellatis, pedicello bracteis 2 subulatis fulto; calyce hirtio, dentibus 2 inf. longioribus, omnibus subspinoso-subulatis; corolla minore quam in *S. montana*, pallida, extus puberula; stylo. exserto, profunde bifido.

In montibus Nevadensibus loco unico in Dehesa de S. Geronimo 20—2100 metr. alt. clarr. Huter, Porta et Rigo florentem invenerunt 28 Jul. 1879. Jam antea a Boissiero ibi lecta fuit.

Tam a *S. montana* L. quam a *S. spinosa* L. mihi videtur optime distincta species. A praeced. statura humili, rigida, foliis multo minoribus, verticillatris paucifloris, spicam brevem formantibus distinguitur; a sequ. vero ramis vix spinosis, foliis minus hispidis, longioribus, verticillastris approximatis etc. satis superque recedit. Nomina 2 Boissieriana inter synonyma allata huc videntur spectare, quorum antiquius (*intricata*) praetuli, cum saltem specimina, quae vidi, minime prostrata sunt, sed stricte erecta. Ut jam suspicatus est amic. Willk. (Prodr. fl. Hisp. II, 410) *S. spinosa* L. e flora Hispanica excludenda erit.

6. *Teucrium chrysotrichum* Lge. (Sect. Polium.) Suffruticosum, caespitoso-multicaule, 3—6" l., caulibus adscendentibus v. diffusis, internodiis brevibus, foliis dense approximatis, verticillatis ($\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$), spathulato-linearibus, obtusis, feré a basi inde crenatis,

marginē valde revolutis, utrinque dense longeque crispo-lanatis (pilis albis v. lutescentibus), verticillo superiore capitulum subinvolucrante, capitulo juniore hemisphaerico, dein (florendi tempore) cylindrico-ovali, in apice ramorum solitario; bracteis (foliis floral. inter.) lanceolatis acutis, fusco-purpureis venis saturatioribus, in capitulo juniore exsertis et comam formantibus, longe et crispule ciliatis; calyce dense et longe lanato, dentibus tubo parum brevioribus, subaequilongis, 2 inferioribus ovatis, longe subulato-cuspidatis, 3 superioribus subulatis, omnibus pilis aureis longis dense et eleganter strigoso-ciliatis; corolla albida v. pallide rosea, labio inf. dorso barbato, ovali-subrotundo, concavo, intermediis minutis, obovatis, superioribus ovatis, acutiusculis; filamentis arcuato-deflexis.

In monte Sierra de Mijas prov. Malacitanæ loc. glareosis v. petrosis usque ad 100 metr. alt. rarissime legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo florentem 19 Maj 1879.

Species, ut videtur, optime distincta, inter *T. Haenseleri* Bss. et *T. aureum* Schreb. intermedia. Prior horum differt a nostro caulibus erectis foliisque minus dense magisque patule hirsutis, capitulis saepius pluribus aggregatis, bracteis viridibus, ovato-spathulatis, calyce adpresse piloso, dentibus brevibus, lanceolato-ovatis, albo-villosis (nec aureo-strigosis). Posterior foliis oppositis (nec verticillatis), bracteis spathulatis, obtusis, cum calyce concoloribus et breviter tomentosis (nec longe ciliatis), calycis dentibus obtusiusculis, villo aureo brevi crispulo tectis (nec strigosis) etc. abunde differt. Reliquae ejusdem sectionis species minus adhuc cum nostra specie commutari possunt.

7. *Teucrium carthaginense* Lge., (Sect. Polium) Suffruticosum, caespitosum; caulibus tortuoso-adscedentibus, 4—8" longis, patule ramosis, albo-tomentosis; foliis oppositis, linearibus v. spathulato-linearibus, imprimis apicem versus crenatis, margine valde revolutis, utrinque breviter et dense cano-tomentellis; verticillastris dense capitato-congestis, capitulo in apice ramorum saepius solitario, rarius 3 dense congestis, majoribus quam in *T. capitato*, minoribus quam in *T. Polio* vulgari; calycis virentis, laxè tomentosi dentibus sub-

aequalibus, lanceolato-ovatis, nervo excurrente cuspidatis, longe ciliatis; corollae albae lobo inf. obovato-orbiculari, prope basin extus puberulo, lateralibus minoribus lanceolatis, superioribus ovatis, obtusis; filamentis arcuato-deflexis.

In collibus petrosis solo calcareo pr. Carthaginem novam primus legit cl. Winkler 30 Mart. 1876 et dein clarr. Huter, Porta et Rigo 1879.

Quoad habitum medium locum tenet inter *T. Polium* L. et *T. Haenseleri* Boiss., quorum prius calycis structura longe recedit, posterius vero caule erecto, longe patuleque hirsuto, corolla ciliata etc. satis superque distinctum est. *T. amplexicaule* Bth. (nobis ex autopsia haud cognitum) foliis ovato-oblongis, cordato-amplexicaulis, supra demum glabratis, corolla majuscula etc. a nostro differre videtur. Cum nulla alia specie suae sectionis, quantum video, conjungi potest.

8. *Cuscuta Triumvirati* Lge. Gracilis, caule filiformi, fuscescente, glomerulis paucifloris, bracteâ ovatâ obtusâ fultis, floribus (3-6) pedicellatis, pedicello superne incrassato, calyce aequilongo v. ultra; floribus 5-meris, calyce rubello, campanulato, lobis obtusissimis tubo corollae brevioribus, adpressis; corolla alba, hyalina, lobis ovatis, obtusis, mox patulis v. reflexis, squamis epistamineis nullis; antheris rufis, ovato-sagittatis; stylis 2 ad basin usque liberis, ovario subaequilongis, erectis, parte stigmatosa reliquo stylo vix crassiore, filiformi-subulata; capsula matura seminibusque ignotis.

In montibus Nevadensibus ad Dornajo, 2000 metr. alt., Erinaceam vastans, 4 Aug. 1879 statu florente a clarr. Huter, Porta et Rigo lecta.

Obs. Etsi quoad habitum maxime similis videtur quibusdam speciebus sectionis „Epistigmatis“ (Engelm. monogr.) tamen vix huc referri potest, sed propter stylos stigmatæ aequilongos potius ad Eucuscuteas pertinere videtur. Hujus sectionis autem omnes species apud Engelm. l. c. descriptae floribus sessilibus gaudent præter *C. babyloniam* Auch., quæ vero a nostra differt caule albido-luteo, calyce albo-nitente, vix dentato, floribus C. europeae majoribus,

squamis epistamineis integris. Species sectionis Epistigmatis floribus pedicellatis analogae (*C. pedicellata* Ledeb. et *C. arabica* Fres.) quoque squamis epistamineis instructae sunt et structurâ styli insuper a nostra diversae sunt, quod etiam de *C. africana* Thunb. (sect. Pachystigma) valet, quare speciem in monographia cl. Engelmanni indescriptam sistere censeo.

9. *Antirrhinum Charidemi* Lge. Fragile, multicaule; caulibus e trunco lignoso adscendentibus v. decumbentibus, valde intricatis, dense minuteque puberulis, $\frac{1}{2}$ -1' l., divaricato-ramosis; foliis ramorum oppositis, caulis florigeri sparsis, minutis, ovali- v. lanceolato-ellipticis, obtusis, dense et breviter glutinoso-pubescentibus; floribus alternis, racemum remotiflorum formantibus, pedicellis bracteâ foliis simili calyceque longioribus; calycis segmentis ovalibus, obtusis, viscoso-puberulis, corollae tubo plus duplo brevioribus; corolla pallide roseo-lilacina, tubo lutescente, longe albo-piloso, palato croceo, glabriusculo, labio superiore saturate rubrostriato, ad tertiam v. quartam longitudinis partem obtuse bilobo, gibbere basali extra calycem parum prominulo; stylo breviter puberulo; capsula et seminibus ignotis.

In promontorio Charidemo (Cabo de Gata) frustula sterilia primus legit cl. Winkler 3 Apr. 1876, dein specimina florigera 16 Apr. 1879 legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo.

Inter *A. molle* L. et *A. sempervirens* Lap. videtur species intermedia, ab utroque bene distincta. *A. molle* differt a nostra indumento dense villosa, foliis orbiculari-ovalibus, saepius oppositis, internodiis multo brevioribus, pedicellis brevioribus, calyce dense barbato-hispido etc. *A. sempervirens* foliis fere omnibus (floralibus quoque) oppositis, sempervirentibus, minute puberulis, calycis segmentis ovato-lanceolatis, acutiusculis, corolla albida, tubo glabriusculo etc. recedit. *A. glutinosum* B. & R. denique differt ramis erectis, minus intricatis, foliis multo majoribus, pedicellis calyce bracteâque brevioribus etc.

10. *Linaria Huteri* Lge. Annuâ, viscoso-glandulosa, multicaulis, caulibus brevibus (3 — 4" longis), crassiusculis, diffusis v.

adscendentibus; foliis arcte adpressis, infer. verticillatis, super. sparsis, lineari-lanceolatis; racemo densifloro, pedicellis calyce aequilongis; calycis segmentis obovato-lanceolatis, obtusis, tubum corollae et capsulam subaequantibus; corolla saturate flava (magnitudine *L. Tournefortii*), palato croceo, glabro, labio superiore igneo, breviter bilobo, calcare recto, corollâ reliquâ longiore; capsula ovali, glanduloso-puberula, emarginata; seminibus nigris, minutissimis, triquetris, minute tuberculatis.

In locis petrosis, glareosis montis Sierra de Mijas supra Alhaurin el grande fl. Malacit., alt. 7—900 metr. die 13 Maj 1879 florentem et fructiferam legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo.

Obs. Habitus fere *L. Tournefortii* et *L. arenariae*, a quibus tamen seminum structurâ abunde recedit. Maxime vero affinis est *L. filifoliae* Lag., quae caulibus intricato-ramosissimis, $\frac{1}{2}$ —1' altis, foliis glabris, lineari-setaceis, calycis segmentis acutis, angustioribus et brevioribus, calcare tenuiore, corollae colore luteo (nec igneo), capsula duplo minore, calycem excedente, satis distincta est.

11. *Linaria oligantha* Lge. Annuâ, glaberrima, glaucescens, humilis, pluricaulis; caulibus adscendentibus, 2—3" longis; foliis oppositis v. verticillatis, verticillis remotis, caulinis superioribus sparsis, omnibus anguste ovali-linearibus, obtusis; inflorescentia brevi, 2—4-flora, pedicellis bractea brevioribus, calyce duplo brevioribus; calycis segmentis obovato-ellipticis, acutiusculis, glaberrimis, vix v. angustissime albomarginatis, corollae tubo subaequilongis, capsulâ longioribus; corollâ majuscula, vitellina, palato aurantiaco ciliato, labio super. breviter bilobo, lobis obtusissimis, calcare tenui, rectiusculo, corollâ reliquâ longiore; capsula subglobosa, vix emarginata; seminibus pallide cinereis, oblique triquetris, hinc concavis, illinc angulato-convexis, dense minuteque tuberculatis.

In vineis et agris c. Almeria prope coemeterium, 11 Apr. florigeram et fructiferam legerunt cl. Huter, Porta et Rigo.

Obs. Inter *L. sparteae* formas minores et *L. diffusae* var. *aragonensem* collocanda, sed floribus paucis, pedicello calyce duplo brevioribus ab illa, glabritie, caulibus vix ramosis, floribus duplo

majoribus ab hac, seminum structurâ ab utraque satis superque distinguitur.

12. *Linaria (depauperata var. ?) Hegelmaieri* Lge. Differt a *L. depauperata* Leresche caulibus robustioribus, subhorizontaliter prostratis, foliis saepius sparsis, corolla majore, coccineo-rubra palato luteo, seminum ala cinerascens (nec alba), papillis disci cinereis (neque niveis).

In vineis regionis calidae ad Villena (prov. Alicante) regn. Valent. legit cl. Hegelmaier 1878, 11 Maj c. fl. et fr.

Obs. Cum similes differentias quoad directionem caulis, dispositionem foliorum et corollae colorem observare liceat in pluribus *Linariae* speciebus, et cum semina praeter colorem alae et papillorum iis *L. depauperatae* similes sint, potius forsan hujus varietas quam species propria habenda erit. Specimina formae typicae *L. depauperatae* ab eodem Prof. Hegelmaier in monte Puig Campana alt. 8—1200 metr. (Prov. Alicante) eodem anno lecta sunt.

13. a) *Armeria Duriaei* Boiss. var. *ciliata* Lge. Differt a typo caulibus elatioribus ($\frac{3}{4}$ —1' longis), capitulis majoribus, foliis ciliatis, petalis pallide roseis.

In rupibus prope Villafranca del Vierzo 27 Maj 1876 legerunt clarr. Hackel et Winkler.

b) *A. Duriaei* var. *dasyphylla* Lge. Caules 4—6" longi, statura omnino *A. Duriaei* typicae, sed caule inferne foliisque dense longeque hirtis (pilis folii latitudine longioribus), corollis intense roseis differt. Vix nisi varietas, nec species propria dicenda.

In provincia Legionensi prope Branuells(?) 1 Jun. 1876 legit et communicavit cl. Winkler.

14. *Ribes Grossularia* L. var. *microphylla* Lge., differt a forma vulgari internodiis brevibus, aculeis validis, tripartitis, arcuato-recurvis, foliis multoties minoribus, saepius trilobis, pedunculis brevissimis.

In valle fluminis Jenil inter Granatam et montes Nevadenses c. fruct. innaturis legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo.

15. *Erysimum myriophyllum* Lge. (E. australe γ , alpinum Wk. in Prodr. fl. Hisp. 3, p. 807?) Perenne; rhizomate (e plurium annorum internodiis brevibus formato) nodoso et ad nodos reliquiis fol. delapsorum stipato, caule solitario, erecto v. adscendente, $\frac{1}{2}$ —1' l., simplici v. a medio ramoso, a basi ad inflorescentiam usque dense foliato; foliis subulatis v. angustissime linearibus, canaliculato-complicatis, acutiusculis, integerrimis, pilis bifidis arcte adpressis dense incanis; racemo ultra dimidium caulis occupante, simplici v. basi ramoso, densifloro, pedicellis crassis et superne incrassatis, siliquae quartam longitudinis partem vix aequantibus, cum siliqua arcte axi adpressis; floribus mediocribus, sepalis erectis, lateralibus basi gibbis; petalis pallide luteis, spathulatis, vix emarginatis, in unguem laminâ longiorem sensim attenuatis; siliqua c. 1" longa, stylo longiusculo terminata, adpresse cano-pilosa. Semina matura non adsunt.

In locis arenosis et glareosis montis Sierra Tejada regn. Granat., solo dolomitico septentrionem versus alt 13—1500 metr. die 21 Junio 1879 legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo.

Obs. Descriptio E. australis γ , alpini (Prodr. fl. Hisp. l. c.) haud male cum nostra specie convenit, et haec ex eadem S. Tejada quoque indicatur, sed specimina hujus, quæ comparare potui, in Sierra de Baza lecta (Bourg. 1851, Nr. 1551), quantum ex statu imperfecto (fructifero) judicare licet, multo minus densifolia et densiflora sunt, et siliquae minus adpressae, quare de synonymia adhuc dubius haereo. Saltem nostra planta ab E. australi typico nimis recedit et prae omnibus Erysimi speciebus nobis notis habitum tam singularem praebet ut specificè distinguenda mihi videatur. In literis monet cl. Huter, flores esse suaveolentes, ut in E. Cheirantho.

16. *Viola puberula* Lge. ad int., rhizomate verticali v. obliquo, multicauli, caulibus basi dense squamatis, erectis, dein arcuato-diffusis, dense breviterque puberulis; foliis rosularibus paucis, late cordatis, acuminatis, omnibus profunde crenatis (crenis inflexo-mucronatis), dense cano-puberulis, opacis; stipulis mox marcescentibus, fusco-scariosis, caulinis lineari-lanceolatis, remote fimbriato-ciliatis, ciliis diametrum stipulae subaequantibus; floribus breviter

pedunculatis, pedunculo supra medium bibracteato; sepalis sagittato-lanceolatis, acuminatis; petalis ; capsula glabra, acuta; seminibus fuscis, nitidis.

In monte Sierra de Alfacar regn. Granat. die 1879 fructiferam legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo.

Obs. Cum non nisi specimen unicum et quidem defloratum adsit, in specie nova creanda haesitavi. Attamen cum nulla mihi nota specie conjungere potui plantam determinationi traditam, maxime *V. silvaticae* Fr. et *V. arenariae* DC. affinem, et inter easdem quasi intermediam, sed ab utraque bene distinctam. Differt enim a *V. silvatica* caule foliisque dense puberulis, opacis (nec laete viridibus), stipularum ciliis magis remotis; a *V. arenaria* autem statura majore et robustiore, foliis acuminatis, stipulis longioribus, cito marcescentibus, capsula majore, glabra etc. recedit. Ab utraque vero foliis multo profundius crenatis; pedunculis brevibus insigniter differt. Ut diligenter florendi tempore inquiratur, botanicis Hispanicis quam maxime commendabo.

17. *Euphorbia nicaeensis* All. var. *obovata* Lge. Varietas insignis caulibus inferne parum denudatis, foliis caulinis latioribus, obovatis, vix mucronatis, umbellaribus ovali-orbicularibus, floralibus reniformibus v. transverse ovalibus; qui characteres conjuncti habitum a typo valde distinctum efficiunt.

In parte septentrionali montium Sierra Tejada regn. Granat. ad alt. 13—1800 metr. abunde legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo.

18. *Crataegus (laciniata* Ucr. var.?) *lasiocarpa* Lge. ad int. Cortice ramulorum glabro, spinis 2—3" longis et robustis, spinulis brevibus crassis instructis; foliis pubescenti-villosis, magis minusve profunde trifidis, lacinia intermedia acute biloba, lateralibus dentatis; stipulis falcatis, cymis paucifloris, floribus breviter pedunculatis, pedunculis pomoque (juniore) dense villosis.

In rupibus calcareis montium Nevadensium loco dicto Dehesa de S. Geronimo infra montem Dornajo alt. 19—2000 metr. legerunt 27 Julio 1879 c. fr. immaturis clarr. Huter, Porta et Rigo.

Formam *a*, (*C. monogyna* var. *hirsuta* Boiss. voy., *C. tanacetifolia* Wbb.) in iisdem montibus Nevad. (Barranco del Rio) a cl. M. Jimenez lectam communicavit Winkler.

Obs. Non dubium mihi videtur, formam supra descriptam ad *C. laciniatam* Prodr. fl. Hisp. propter locum natalem, descriptionem et synonyma allata esse referendam. Specimina formae typicae loco supra laudato lecta magis adulta et fructibus maturis (atrofuscis) instructa recedunt a varietate nostra foliis paulo majoribus, laciniis lateralibus divergentibus, cymis plurifloris, pomis longius pedunculatis, demum glabrescentibus, quorum autem characterum plures forsitan a statu adultiore explicandi sunt. A *C. monogyna* Jacq. bene distincta mihi videtur spinis longis et robustis, foliis hirsutis, fructu atrofusco etc., sed an planta Hispanica cum Sicula (*Mespilus laciniata* Guss., *Cratægus lacin.* Ucr.) identica sit, ob defectum speciminum hujus ultimi dijudicare non audeo.

19. *Ulex (canescens var.?) sparsiflorus* Lge. ad int. Rami elongati ramulique patuli leviter puberuli; phyllodia subulata, ramulo superposito multoties breviora; flores majusculi, solitarii, e ramulis secundariis orti, bracteolae ovatae; calyx dense sericeus, labii superioris dentibus 2 divergentibus; petala calyce breviora, legumen dense pilosum, semilunare, styli glabri basi persistente abrupte terminatum.

In umbrosis rupium promontorii Charidemi (Cabo de Gata) rarissime, florigeram et fructiferam legerunt clarr. Huter, Porta et Rigo Apr. 1879.

Obs. Ab affini *U. canescente* Lge., in eodem promontorio crescente, characteribus allatis, nec non indumento minus denso et florendi tempore vernali, nec hyemali distinguitur. Ab *U. australi* Clem. magis adhuc differt indumento cano-puberulo, ramis ramisque longioribus, floribus duplo majoribus, solitariis (nec racemoso-congestis), stylo antrorsum (nec retrorsum) declivi, nec non leguminis forma. *Ulex Wilkommii* Wbb. sec. descriptionem recedit a nostra phyllodiis squamaceis, basi ovatis, planiusculis, ramulo quater brevioribus, bracteolis minimis, angustis; calycis labii superioris den-

tibus 2 subconniventibus, stylo a basi ad medium piloso. Cum ceteris Ulicis speciebus a b. Webbio (Otia hisp.) optime descriptis et delineatis minime conjungi potest, quare, nisi forte *U. canescentis* forma umbrosa et vernalis, quod ulterius in vivo inquirendum erit, sine dubio nova species habenda est.

20. *Astragali* duae, in flora Almeriensi nuperrime detectae, ad species Algerienses pro flora Hispanica novas esse referendae mihi videtur, etsi, quod dolendum est, specimina utriusque speciei ad determinationem omnino tutam haud sufficiunt, quare in locis indicatis ulterius inquirendae sunt:

a) *Astragalus geniculatus* Desf. In promontorio Cabo de Gata, Apr. 1876 (Winkler)! prope oppidum Almeria (Huter, Porta et Rigo)! Specimina utroque loco lecta fructibus carebant, sed quantum in statu florigero judicare licet, omnino cum planta Algeriensi conveniunt.

b) *A. edulis* DR. In alveo rivuli exsiccati prope Almeria rarissime (Huter, Porta et Rigo), specimina fructifera! Legumen et semina tam descriptioni quam speciminibus in hort. bot. Haun. cultis bene conveniunt, sed planta culta in omnibus partibus robustior, foliolis multo latioribus, glabrescentibus (nec, ut in pl. Almeriensi, dense cano-puberulis). Ulterius observanda et cum speciminibus Algeriensibus, quae videre mihi non contigit, comparanda!

Kjøbenhavn. — Bianco Lunos Kgl. Hof-Bogtrykkeri.

